

(73.) V. ipsius Propositionem super Clave sua Sinica.

(74.) V. Techn. Curiof. Schotti L. VII. & Excell. Dn. Sturmii Colleg. Curiof. Tentam. XII.

*Atq; hac sunt pauca illa, quæ ex amplissimo hoc campo hac vice decerpere pro ingenii viribus, temporisq; angustia mihi licuit. Si quis sinistrorsum rapere velit, quod tale præ aliis elegerim thema, in quo præter adificiæ extructionem, formamq; nihil fermè vendicare mihi possim, cum lapides & ligna sive materiam ex aliis undiq; variè conduxerim; eî nullam aliam, quàm hanc repono excusationem: maluisse me melligenos succos ex aliis apum more delibare, quàm ad aranearum instar inutiles telas ex propriis educere visceribus. Interim ne utiquam diffiteor, quàm plurima egregia seculi nostri inventa à me fuisse præterita, cum quòd impossibile fuerit omnia recensere, tum quòd non ausus sim ea jactare, quorum nondum exploratam habeo notitiam. Mallem quidem & horum habere scientiam, quàm Ignorantiam, sed quia id nondum potui, magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quàm falsam scientiam profiteri. In quibus S. Augustini verbis desino, Deoq; pro viribus, quas liberali manu non merenti indulsit, humillimas ago gratias: eidemq; studia mea, animò in ipsius misericordiam confidentissimo, in posterum quoq; commendo. Patronis atq; Fautoribus, qui me vel libris vel consiliis adjuvare dignati sunt, meritas rependo laudes, iisq; officiosa grati animi obsequia paratissimus oppignero. L. B. humanissimè rogo, ut eodem, quo hac scripsi, animo ea perlegat, & sicubi erratum viderit, ab homine humani nihil alienum putet, præsertim à juvene; quorum scripta, ut ajebat ille, sunt sicut immitia adhuc, & cruda poma, quæ confirmatiore demum atate, limatioreq; judicio maturata dulcescant. Ego certè facilem ab omnibus mihi polliceor veniam, qui noscent, me in his studiis non habitare, sed ad eorum fines ut transfugam tantùm & exploratorem nonnunquam accedere. Illos deniq;, qui nihil rectum putant, nisi quod ipsi fecerint, si vel sinistra accipere, quæ ego dextrâ porrigo, vel Theonino dente rodere hæc nostra velint, amicè moneo, ne, dum me carpere vel capere intendunt, semet-
ipsos*

ipsos